



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

4. De vitijs contrarijs grauitati: ac primùm de leuitate Orationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

Sed maxime excellit Diuus Dionysius Areopagita, qui profecto totus in istis diuinae naturae nominibus perscrutandis defixus, & splendidissimarum rerum perfusus cogitationibus, incipit

Maioresque uideri Nec mortale sonans.

Dionys. Areop. de diuin. nominib. c. 4

Quo enim genio haec dicit:

Αλλ' ὡς περ ἡμῶς ἐν μισοῦ παραδραμῶν διαπέφρουγε, καὶ τῆς οὐρανίου ἀρχῆς, καὶ ἀποπερατώσειν αἴτια, τ' ἀγαθῶν, τῆς ἀναύχης, καὶ ἀμειώτης, καὶ ὅλης ἀναλλοιώτης ταύτης τῆς οὐσίας, καὶ τῶν ἀλόφων εἰδῶν χρηρῶν, τῆς πᾶσι μεγέθους ἀφρανοπέρας κινήσεως, καὶ τῶν ἀσώρων ἀζήτων, καὶ ἐπιπέσειων, καὶ φάτων, καὶ ἰδῶν ὕσεων, καὶ τῆς οὐρανίου ἀσέριων μεταβατικῆς πολυκινήσεως, καὶ τῶν δύο φασίξεω, οὐδὲ τὰ λόγια καλεῖται μεγάλα, ἀπὸ τῶν αὐτῶν εἰς τὰ αὐτὰ περιδοκίης ἀποκαταστάσεως, καθ' ἃς ἀπὸ κορμῆν ἡμερῶν καὶ νύκτες ἐξέβωμαι, καὶ ἡμέρας, καὶ σήμεροι μετὰ ἡμέρας, τὰς τῶν χρόνων καὶ τῶν ἐν χρόνῳ κυκλικῆς κινήσεως ἀφορίζουσι καὶ ἀριθμοῦσι, καὶ τάξι, καὶ σωτέχουσι.

Auditis hic bonum quod principia, sine fine rerum caelestium complectitur, bonum sine incremento, sine diminutione, sine mutatione, bonum a quo uniuersa caelestium orbium conuersio, & astrorum leges, & pulchritudo, & lumen, & stabilitas, & multiplices cursus errantium stellarum, & solis, ac lunae reciproci circuitus, quibus dierum, & noctium curricula definiuntur, & menses, & anni, sua per uestigia redeuntes temporum vicissitudines describuntur, ordinantur, continentur.

Ego Graeca intelligentibus loquor, neque enim illa vis uerborum satis commodè latinis auribus potest explicari, & puto multum Dionysio detrabi, quoties latinè redditur ad uerbum. Nunc uidetur hic de Deo, & pulcherrimo eius opificio uerba faciens, quasi Aquila ex hominum conspectu subductus, contentissimo uolatu se in altas nubes induere, & illic inter fulminum iactus, inter niues, & grandines ludere, mox inter stellas spatia-

Dion. Angelus loquens à turbine.

Verum ubi Triadem illam speculatur, ubi de uerbo diuino disserit, & mysteriorum di-

uinorum maiestatem depingit, non iam est aquila, sed Angelus quispiam loquens è turbine, aut ut Elias, igneo curru deuictus, supra nubes, & pluuias, & ventos, & quicquid mortale est, audacissimo nisu confurgit, ut:

Κατὰ τὸ αὐτὸν ἀληθείας λόγον ὑπερ-^{Idem di-}κειτοῦ τῶν οὐρανῶν ἡ ὑπερβολὴ τῆς ἀορισίας, καὶ τῶν οὐρανῶν ἡ ὑπερβολὴ τῆς ἀσέριων, καὶ τῆς ἀσέριων ἀδιανόητόν ἐστι τὸ ὑπερδιανοισίαν, ἀρρητῶς τε λόγῳ παντὶ, τὸ ὑπερλόγου ἀγαθῶν, ἐκείνου τοῦ ἀπείρου ἐνάδου, καὶ ὑπερβολῆς οὐσίας καὶ τῆς ἀλόγητης, καὶ ἀρρητῆς ἀλογίας, ἀνοσιείας, καὶ ἐναντιομίας καὶ ἀμείνων ὄντων αὐτῶν.

Quae est illa substantiarum super omnia substantiam immensitas, uinitas mentium supra omnem uinitatem, unum illud nullo quantumcumque sit intellectu comprehensum, sed quod nec comprehendi potest, nec oratione explicari, utpote supra omnem orationem constitutum uinitas uinculum omnis uinitatis, super substantialis substantia, intellectus inuestigabilis, uerbum inenarrabile, quod totum hoc absorbet, & rebus omnibus silentium, stuporem, haesitantiam iniicit. Nonne uerba ipsa si consideres, diuinum quemdam furorem spirant eloquentiae.

De uitijs contrariis grauitati, ac primum de leuitate orationis.

CAPVT IV.

Hic grauitati contraria est leuitas quaedam styli puerilis, qua qui laborant, ita es plerumque deprehenduntur. Dicunt argumentis leuibus, & pictorio duntaxat inductis rationibus, quibus si guttam asperseris, colliquescent; si quid minima probabilitate perculit animos, hoc statim arripiunt, nec ponderant utrum ceruix capiti, an pes harcat, itaque saepe suis telis se iugulant. Sectantur ubique iucunda, seria haec capere possunt, nec amare, quarunt aurum lenocinia, carpunt uinique flosculos, conquisitas aliquot uerborum uiolas ubique aspergunt, & tristia uernant etiam sermone saepius explicant. Intrudunt uolentas historias, perspergunt omnia similibus, continuant totas orationes destri-

personibus, immiscet nonnunquam leues sententias, & exclamant in tempestivè, & perperam vociferantur, & in remissis canunt incitatè, & in incitatis languescunt, & ostentatione futilis doctrinæ præriunt, & læsciunt tinnitu, & multum nugantur in omnibus.

Is igitur, qui horum vestigijs insistit, talis est, ut non querat graves, & serias ex sacro instrumento, & Patribus rationes, sed putidas quasdam nominum subtilitates, & allegorias, ex quibus levi fundamento inferat nova, & incredibilia, ut nomen sanctissimæ Mariæ prædictum, & expressum ab Isaia, & id probet ex Reuelatore arcanorum, qui Antonio Confili vrbis Romæ de Matre Messia querenti fertur ita respondisse, prout in spelunca duplici oranti Elias reuelauerat.

Maria nomen an expressum ab Isaia?

Quodd autem interrogasti, quo nomine Prophetissa vocetur, Maria est nomen eius. Itaq; Isaïas ecclinit, c. 9. **למַרְבֵּה הַמַּיִסְרָה** *lemarbe hâmisra*, quæ verba nihil aliud significant, quam *ad multiplicandum imperium*. Tamen frequenter iterabit *lemarbe hâmisra*, nomen esse Dei Matris ex Isaia, & si quis vergeat, & dicat *lemarbe hâmisra* significare *amplitudinem imperij*, non, Mariam, faciet anagrammata sine lege, & ex decem literis decerpens septem, dieet in *lemarbe hâmisra* inueniri **מרים שרה**, id est, *Mariam, sacra Mariam Dominam*. Quod si quis obieciat duo *he* parû congruè hic mutari literam, *iod*, & interponi **ב** *Beth*, in *lemarbe*, quod non est in Mariæ nomine. Respondet. Diuisa est *iod* in duo *he*, ut nobis secreta admirabilia panderet. Quemadmodum enim *He* ex *Daleth*, & *Vau* componitur in hac figura **ה**: Ita Rex Messias componitur ex diuinitate, & humanitate, & sicuti hæc duo *he* sunt duo *Daleth*, ex quibus procedunt duo *Vau*, tanquam duo filij, qui ab ipsis oriuntur, hoc modo **הה**: Ita in substantia Regis Messia inueniuntur duæ filiationes: quarum vna est diuinitatis, qua Dei filius est: altera humanitatis, qua erit filius huius Prophetissæ. Et sicut harum literarum *Daleth*, & *Vau*, quæ faciunt *he*, vnaquæque est ab inuicem distincta, quanquam sit vna litera, sic enim scribitur **ה**. Ita in Messia substantia diuinitatis: & substantia humanitatis, quæ simul vnitæ sunt, sunt vnus Messias.

Quod autem *Beth* in *lemarbe* positum sit, ostendit huius Prophetissæ mentem, & cogitationem omnem esse, ut suam Virginitatem

conseruet. Erit enim virgo mente, & adu, quoniam per **ב** *beth בתולה* *betbûla*, id est, Virgo significatur: Hæc si quis dicat, oracula fortasse apud imperitos dicere videbitur, sed quam leuia sint apud graues viros quis non videt?

Præterea ut is, qui talis est stylo etiam suis sensibus respondeat, aucupabitur argumenta, vbi delicatum florem orationis possit ostentare, & si minimè res postulet: Sed ut pictores imperiti facere solent, quæ sunt in tabula præcipuæ dignitatis, ut os humanum, aut leo rugiens, aut aper spumans, aut equus pernix, & si quid est simile, hæc parum scitè exprimunt, multas autem rosas, & papauera, & frondes, & nugas tabulæ inspergunt; sic iste, quæ in proposita ad dicendum materia, clara sunt, & illustra, nonnunquam omittet, aut parcissimè stringet, totum se autem ad tornandum milium conferet. Talis est, qui in historia purificationis nihil dicat de Christo oblato, de Virgine offerente, de Simeone, & eius Prophetiâ, sed se in laudem columbarum, quas castissima Maria detulit, totum conijciat, & garrat eas habuisse pulchrum collum, cuius color gratus, & minor splendidus, illucesceret, & contra solis aciem vegetus fulguraret, vel placidus entesceret, & in contrariam gratiam variaret aspectum, & nunc aurum coruscans in mellis lenem deprimeretur umbram, nunc coruina nigredine carulum videretur. Item in historia passionis operose describat laternam alicuius Iudæi, & dicat fuisse lucum flammis collucentem, & ad arcendas ventorum iniurias vndique communitum alternis arundinibus, quas peritissimus artifex eleganter concinnauit, fuisse volubilem quendam mundum, in cuius medio sidus fulgeret, vnde vibrantes faculæ permultiflore opereculum exilirent, hoc quidem præstitit Nonnus Pano-politanus in metaphrafi D. Ioannis his verbis.

Oratores imperiti cum imperitis pi-ctores comparantur.

Λύχων ἐνδομύχων ἀνιμοσκεῖς ἄλ-
σος ἀείρων
Ἄλσθ' ὅπερ δανάκισιμ ἀμοβαοῖσι
συνάστωρ,
Ποκνὰ μεριζομένοισι γέρωσ κυκλάτα
τέκτωρ,
Ἀσπρὲν μίμημα ἔπιτολῶν ὅτι κόσμω
Μεσοφανὴς ὄλιχ' ὀμοζυγί' διὰ
κόλπου

Eccce ofu



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ὁ δὲ φάσι πολλοὺς τὸν ὁ σὺ σκέπας ἐκ: α-
διπέμπωμ,
Ακροφάνες σὺλλάγισε πολυσχιδές, & ὁ-
ιδμον πδρ.

Sed ingenioso Poetae danda est venia, qui in suo ludit arti ficio.

De siccis.

CAPVT V.

Oratores siccis qui:

Sunt vero, qui dum istas ineptias religiosius fugiunt, in contrarium vitium Siccitatis deflectunt, & in quamdam styli maciem incidunt, quae generosae vbertatis sibi totam corrumpit orationem.

Illi igitur toti sunt ossi, nihil adipalis generis, nihil medullarum habent, sed sensus vterecundos, mediocres, attritos; nihil vquam ingenij colore fundunt audacius, & si quid exiliat statim opprimunt: Nullos latiores atrectant locos, nihil ex mansuetiorum Musarum condimentis delibant, nihil in eis ex antiquis historijs accersitum, nihil ex similitum varia opulentia vsurpatum, nihil ex multiplici scientiarum instrumento affluit. Versantur in sanis quidem rationibus, sed ijs admodum attritis, & communibus.

Praterea tota oratio est considerata, exilis, meticulosa, exanguis, sine colore, sine succo, sine ornatu, vix inuenias stimulum, vix illecebram, vix vllam animae fibulam, ex quo vagus & languens auditor ad huiusmodi orationes nauseat. Talia plerumque occurrunt in homi- lijs scriptorum, aliquot Ecclesiasticorum posterioris notae, vt si oratio tota his Druthmari verbis continuaretur.

Loquente Domino turbis salutem animarum, venit quidam Princeps Iudaeorum, qui quia sapiens erat in lege, & Archisynagogus, id est Princeps Synagoga vocabatur, quia in eorum congregationibus propter suam peritiam magister erat: & quia nobilis erat, etiam nomen indicatur ab alijs Euangelistis, dicentibus cui nomen erat Iairus, haec (inquam) oratio quae in rerum misurarum explicatione pedetentim insitit sine sensuum splendore, sine nota recondita, sine delectu verborum, adhibita deinde modica aliqua parenesi, aut

vitiorum infestatione, & omnia ferme stylo narratio percurrit, sobria quidem est, neque enim iuueniles habet errores audacia, sed tota sicca est, & exanguis, quam attentio raro con- sequitur.

Verum dices. Neque istas orationis quas commemorasti diuitias, inesse primi generis grauibus voluisti, quos tamen nemo non in magnis oratoribus numerat. Fateor equidem tales esse vt adscititia consulto fugiant orna- menta, sed habet vim quandam mentis inelu- ctabilem, quae ferit animos ex abdito, & violentum quasi tyrannidis lenocinium in alieno figit pectore.

Itaque miramur, nos si quando huiusmo- di oratores audiuius vehementer affici, cum tamen ea quae ipsi dixerunt memoria relegi- mus, non multas inuenimus Patrum senten- tias, non subtiles locorum interpretationes, non ex libris incredibilium historiarum, non tor- num, & Myrothecia Rhetorum, sed tamen te- nemur admiratione oppressi, & quid tantum miremur nescimus, sed hoc magnae admiratio- nis instar est quod nescimus, & certe oportet virtutem esse quandam tanto maiorem, quan- to occultior est.

Talem fuisse Demosthenis eloquentiam notauimus in superioribus libris ex Longino, multis quidem partibus superabatur ab Hyperide, ornamentis quibusdam, & quasi condimentis eloquentiae: sed grauitate, & indo- mito robore orationis, & ipsum, & omnes ab- sorbebat. Inde plautus, inde hominum admi- ratio, neque enim caetera animalia quantum- uis pulchra, & velocia, & callida tantum ad- mirantur, quantum vnus Leonis maiestatem: sic ista grauitas, etiam leuioribus ornamentis destituta, nuda, & simplex nos vehementius afficit quam caetera.

Hoc autem imperiosum, vt ita dicam, phil- trum siccis non habent, sed vt veterum illo- rum, & maxime rudium artificum statuae horrorem quandam incultum, & quasi cor- pus osseum praeserunt orationis, cui nisi ner- uos, & succum, & sanguinem, & colorem addiderint, nunquam ad vllam di- cendi virtutem efflo- rescent.

**